



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 4. De manuum Cæremoniis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

III. Ad Antiphonas ante & post Cantica *Benedictus*, *Magnificat*, *Nunc dimittis*. Ibid. c. 3.

§. IV.

De Manuum Cæremoniis.

HArum diversi Ritus & motus in Officio divino cantando adhibentur; nam interdum ad caput cooperiendum, vel detegendum applicantur: interdum ad pectus percutiendum usurpantur, aut ad Crucis formationem: interdum conjunctæ & erectæ tenentur.

Manu Caput cooperit.

- I. Ante discessum à loco Paramentorum, & post factam in discessu reverentiam Crucis.
- II. Ad Psalmos, Lectiones, & Responsorialia, nisi adsit SS. Sacramentum expositum; tunc enim aperto esse capite decet ob reverentiam SS. Sacramento debitam.
- III. Ad Antiphonas ante Cantica *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*, uti & post illas.
- IV. In recessu ab Altari.

Manu Caput detegitur.

- I. In discessu à loco Paramentorum, pro facienda Crucis reverentia.
- II. In accessu ad Altare.
- III. Quodcumque à Sessione præcedente surgitur.
- IV. In accessu ad locum Paramentorum pro facienda Crucis reverentia.
- V. Ad *Gloria Patri* per omnes Psalmos & Lectiones.
- VI. Ad nomen Papæ viventis.
- VII. Ad Verba; *Sit Nomen Domini: Sanctum & terribile:* quibus Gavantus s. 10. c. 2. n. 9. & post illum Corsettus tr. 1. c. 21. n. 2. etiam addunt Versus: *Benedictus Dominus die quotidie: Benedictum nomen Maiestatis: Benedicat nos DEVS, DEVS noster:* Sed hæc posterior detectio à paucis observatur.

Manu Crux minor formatur.

Ad initium Marutini, dum dicitur: *Domine labia mea:*

mea : tunc enim Labia Cruce minore signantur : juxta Rubricas tit. 13. n. 1.

I. Ad *Convertite nos* aliqui, teste Gavanto f. 10. c. 1. Rubricam Crucem minorem in pectore formant ; sed cum nec Rubricæ, nec Cæremoniale hujus Cæremonia meminerint, etiam etiam omitti videtur.

Manu Crux major formatur.

I. Ad *DEVS in Adiutorium* in initio omnium Horarum formatur Crux major, manu extensa signando se à fronte in pectus, & ab humero sinistro ad dextrum, pro unoquoque verbo, tangendo frontem, pectus, & humerum utrumque, præscribit Cæremoniale Episcoporum. l. 2. c. 1.

II. Ad Versum *Adiutorium nostrum* ante Confessionem in Prima & Completorio ; non autem quando idem Versus in Prima post Lectionem brevem dicitur, quia mox ad sequentia verba formanda est.

III. An *Indulgentiam* post eandem Confessionem.

IV. Ad Dominus nos benedicat in fine Primæ.

V. Ad *Magnificat*, quando discedit à Sede ad incensationem Altaris, juxta Cæremoniale Episcoporum. l. 2. c. 1. Unde ob paritatem rationis idem etiam faciendum ad Canticum *Benedictus*, & *Nunc dimittis* putat Gavantus f. 10. c. n. 10. quia & hæc sunt Cantica ex Evangelio desumpta ; quia de Canticum *Nunc dimittis*, nullam similem Cæremoniam præscribit Cæremoniale, & pro Canticum *Magnificat* ob recessum à Sede ad Altare eandem præscripsisse videtur, id ad solum Canticum *Benedictus* etiam ea Crux ob similitudinem causæ facienda videtur, uti idem Cærem. l. 2. c. 7. 1. 1. n. 1. ait. Nec obstat, quòd Canticum *Nunc dimittis* sit ex Evangelio desumptum ; nam etiam textus Evangelij in ante penultima Lectione est ex Evangelio, nec tamen ad illius recitationem Crux formatur, uti ipse Gavantus f. 10. c. 3. n. 1. monet.

Manus conjunctas & elevatas tenet.

I. Ad egressum & regressum in Sacristiam.

II. Ad accessum & recessum à Sede.

III. Ad recitationem *Pater noster*, *Ave*, & *Credo*.

In Horis Canonicis observanda. 71

IV. Ad Lectionem nonam, quam ipse recitat, ad Capitula, Absolutiones, Benedictiones, Orationes, Cantica, Hymnos, Invitatorium.

V. Ad Antiphonam B. Virginis, & Versus subsequentes usque ad *Benedicat nos &c.*

Manus super genua explicatas gerit.

I. Sub Psalmis & Lectionibus.

II. Sub Antiphonis ad *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

Manu pectus percutit.

I. Ad binam Confessionem, cum dicit: *Mea culpa &c.*

II. Ad *Agnus DEI* in Litanis Omnium Sanctorum.

§. V.

De Osculo Altaris.

I. Semel tantum expressè præscribitur hoc osculum in Cæremoniali. l. 2. c. 1. scilicet in Vesperis, cum post introitum *Magnificat* ad Altare venit Officiator.

II. Idem tamen ob rationis paritatem in Cantico *Benedictus* faciendum videtur.

§. VI.

De Incensatione.

I. Peragenda est hæc primò ad Vesperas primas & secundas juxta Cæremoniale Episc. l. 2. c. 1.

II. Eadem etiam facienda præscribitur ad *Benedictus*, uti ibid. cap. 7. videre est.

TITULUS V.

*DE TONO VESPERARUM,
ET COMPLETORII.*

Quid sit Tonus in genere, & quotuplex, in Instructione de SS. Missæ Sacrificio p. 2. tit. 33. fusiùs explicatum est, unde hoc loco solum de Tono speciali Vesperarum agendum erit.